



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio IX. Argumentum. Exponitur quid, & quotuplex sit Sacrilegium? Qui possint absolvere sacrilegum percussorem Clerici? An sit sacrilega delectatio turpis, dum peragitur res sacra? Quibus mediis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Qua remedia, & monita datus sit Parochus populo suo, ne filii, & filiae Philtris, seu maleficiis offendantur? Scripsere. 1. Quod Parentes doceant filios, & filias Dei timorem. 2. Quod recentes natos sollicitè curent baptizari. 3. Infantes orationes instruant, & se sacro Crucis signo munire. 4. Adolescentes, ut Doctrinam Christianam discant, diligenter curent. 5. Quod Missæ sacrificium devotè audiant, non solum diebus festis, sed si possunt, etiam feriatis. 6. Speciali cultu venerentur Deiparam Virginem, Angelum Custodem, & Sanctos. 7. In ætate debita constituti frequentent Sanctissima Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. 8. Moneant eos se exercere in operibus Pietatis Christianæ, quia perit mesit Satanas piorum vigiliis, orationes, jejunia &c. ut dicebat, & docebat S. Antonius Abbas. 9. Deferrant reliquias Sanctorum, Agnos benedictos, Cereos, cum fide, & fiducia divini tutaminis. 10. Signent se mane, & sero Aquabenedicta, & præcipuè cum è lecto surgunt, & dormituri recumbunt. 11. Innocent sæpè sanctissima nomina JESUS, & MARIA. 12. In concionibus, & sermonibus ipsi Parochi piè, & doctè moneant, & hortentur genitores, ut à peccatis abstineant, præcipuè à blasphemis, perjuriis, fraudibus, & injustitiis; ac filios, & filias, ut caveant ab inobedientia parentum, à verbis obscenis, à mendaciis, & furtis, siquidem flagitia, & peccata sunt in causa, cur Deus permittat, homines per maleficia à Diabolo offendi, ut auctoritatibus, & exemplis demonstrat Martinus Delrius dist. lib. 3. quæst. 7. sect. 1. & luculenter P. Gaspar Schorus in prælaudata sua Phys. Curiosa lib. 4. cap. 14.

DECISIO NONA.

ARGUMENTUM.

Exponitur quid, & quotuplex sit Sacrilegium? Qui possint absolvere sacrilegium percussorem Clerici? An sit sacrilega delectatio turpis, dum peragitur res Sacra? Quibus mediis concilietur obsequium erga Ecclesiasticos?

SUMMARIUM.

1. Sacrilegii definitio.
2. Sacrilegii Species, ac divisio.
3. Clericorum percussores à quibus absolviendi?
4. Percussio alia levis, alia gravis.
5. Episcopus absolvit percussores Clericorum in XVII. casibus.
6. Concupiscere seminem, dum agitur res Sacra, an sit sacrilegium?
7. Ecclesiastici quibus mediis venerentur à laicis?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD primum. Quid sit sacrilegium? Alii, esse omne peccatum contra virtutem Religionis, quasi Sacri læsonem, Summ. Dian. Verb. Sacrilegium. Alii, esse violationem rei sacræ. Busemb. lib. 3. c. 2. dub. 2. & ex S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1. Alii, esse rerum sacrarum furtum. Ex Azorio p. 1. lib. 9. cap. 27. quæst. 1.

Ad Secundum. Quotuplex sit Sacrilegium? Concordant omnes, esse Triplex, Personale, Locale, & Reale, quia committitur vel contra personas sacras, vel loca, vel res sacras. Azor. & Busemb. ubi supra. Tambur. in Dec. lib. 2. cap. 6. §. 3. At quamcunque speciem subdividi, in Sacrilegium mentale, & explicitum. Item in Formale & objectivum. Item in Simplex, ut si per-

Doct. Clerici Tom. II. Lib. IX.

sona sacra rem habeat cum laica; & Duplex, ut si persona sacra se commisceat cum sacra. Caramuel in Theol. fundament. l. 1. fund. 45. num. 1029. & l. 2. fund. 57. num. 1075. & plenissime mea Erotemata à cap. 26. cum septem seqq. in quibus de omnibus Sacrilegiis differitur.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam percussit Clericum. Queritur, à quo sit absol-
vendus? Præmiserunt omnes, quod contra percussores clericorum lata est excommunicatio in can. Si quis suadente diabolo. 17. q. 4. quæ est reservata summo Pontifici, ut notat Barbosa. ibid. & docet Thesaur. de pœnit. Eccles. p. 2. Verb. Injuria cap. 2. n. 1. Deinde circa propositum casum distinxerunt, vel percussio fuit gravis, vel levis? Si fuit levis, potest absolvi ab Episcopo. cap. pervenit, ubi DD. De Sent. Excom. Antonell. de Regim. milit. Eccl. lib. 8. cap. 1. Quando autem dicatur levis attenduntur circumstantiæ locorum, temporum, modi percussione, & ipsius læsionis. Belletus de favore Cler. can. §. 3. num. 34. Antonell. d. lib. 8. cap. 5. num. 3. Si verò percussio fuit gravis, solus Papa absolvit, seu Delegatus ab illo; nisi percussio sit secreta, vel facta sit à Monialibus, vel à clericis collegialiter viventibus, vel ab officiali Principis in reprimenda turba, vel ab habente legitimum impedimentum, quo non possit ad Sedem Apostolicam accedere; nam in prædictis casibus potest absolvere Episcopus, licet percussio fuerit gravis. Thesaur. d. p. 2. Verb. Injuria c. 2. Antonell. d. lib. 8. c. 5. Proinde alii ex Summa Sylvestrina Verb. Absol. 4. transcribere hæc carmina; quæ continent casus decem, & septem, in quibus Episcopus absolvit etiam in percussione gravi, videlicet.

Regula, Mors, Sexus. Hostis, Puer, Officialis, Delitiosus, Inops, Æger, Senexque, Sodalis, Janitor, Adstrictus, Dubius, Causa, Levis ictus, Debilis, absolvi sine summa Sede merentur.

1. Regula; idest si Regularis verberet Regularem. cap. Monachi 2. De sent. excom. 2. Mors, idest in articulo mortis omnis excommunicatus potest absolvi. Non dubium 5. eod. 3. Sexus, idest mulieres. Mulieres 6. eod. 4. Hostis. Idest, si percussor habeat capitales inimicitias, quibus impediatur ire Romam. cap. De cetero 11. Et c. Ea nascitur 13. eod. 5. Puer. Idest, qui nondum pervenit ad pubertatem. c. 1. & cap. ultim. eod. 6. Officialis; qui arcedendo turbam casu, sed cum aliqua culpa, clericum percussit. cap. Si vero il. 1. de sent. excom. 7. Delitiosus; idest multum potens, & delicatus. d. cap. Mulieres. 6. & ibi glos. in Verb. Laborem eod. 8. Inops, idest qui suis manibus, & sudoribus vivit. cap. Quod de his. 26. eod. 9. Æger, idest infirmus morbo longo, vel periculoso. d. c. Quod de his. 10. Senex, idest major annorum 70. cap. Quamvis 58. eod. 11. Sodalis, idest si clerici collegialiter viventes se percutiant. cap. Quoniam 9. de vit. & honest. cler. 12. Janitor; Idest Ostiarius, si repellendo turbam percutiat clericum. d. c. Si vero 3. eodem 13. Adstrictus, idest qui non est in sua, sed in alterius potestate, & servitute. cap. Relatum, 37. de sentent. excom. 14. Dubius, cum scilicet quis est diffamatus de percussione, licet non convictus. cap. cum desideres 15. eod. 15. Causa, idest qui habet legitimam causam, scilicet impedimentum, non eundi Romam. d. cap. Quod de his. 26. eod. 16. Levis ictus; idest qui leviter percussit. d. cap. Pervenit 17. eod. tit. 17. Debilis, idest cæcus, vel claudus, vel membra habens

bens debilitata. d. cap. Ea noscitur 13. eod. Hi omnes possunt absolvi sine summa fede, id est sine recurso ad Summum Pontificem ab Episcopo, vel si sint regulares, à suo Prælato, ut latius declarat, & probat Sylvester d. Verb. Absolutio 4. Belletus de favor. cler. can. d. part. 1. §. 3. & exactè docent mea Erotemata. 27. à n. 12. & seqq.

AD SECUNDUM CASUM.

6 Quidam Religiosus, dum Sacrum facit, vel baptizat, intuetur feminam, & eam concupiscit ad malum finem. Quaritur quale peccatum committat; & an hac circumstantia temporis sit aperienda in confessione? Omnes concorditer responderunt, committere, ratione sui, peccatum Sacrilegii; ratione autem Sacrificii, vel Sacramenti peccare irreverentia gravi contra Religionem. An autem hæc circumstantia temporis litiandi, vel baptizandi sit in confessione aperienda? Alii negarunt ex Dianæ opinione tom. 1. coordin. tract. 7. resol. 66. Sed alii, & quidem securius, affirmarunt ex Trullenb. lib. 1. Dec. c. 10. dub. 15. n. 8. nihil relevante Dianæ opinione, qui loquitur de concupiscente in recitando Divino Officio, cujus irreverentia non est ita gravis, & peculiaris, ut in celebrante, vel baptizante, ut notat Tamb. de exp. Confess. l. 2. cap. 7. §. 5. n. 38.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

7 Quid mediis fiet, ut laici venerentur Ecclesiasticos, & obsequantur? Dixere 1. Si Ecclesiastici sint moribus ornati, vitamque ducant exemplarem. 2. Si fugiant domesticas laicorum conversationes. 3. Si omnino abstineant à quacunque temporali negotiatione, mercatura, vel interesse cum iisdem laicis. 4. Si pii, & liberales sint in elemosynis faciendis, & sublevandis pauperum necessitatibus. 5. Si sæpe in concionibus agant de Dignitate Sacerdotali, & excellentia Status Religiosi. 6. Si referant exempla Principum, & Sanctorum, qui adeo Clericos, & Sacerdotes honorarunt, utpotè S. Francisci dicentis, se prius salutatum Sacerdotem, quam Angelum, si utrumque simul obvium haberet. 7. Si divinis oraculis Sacre Scripturæ id probent. 8. Si argumenta hujus rei desument ex Viçorello in addit. ad Tolet. lib. 4. c. 1. & 2. 9. Si Ecclesiastici in omni virtutum genere lucere curabunt, & non tam menti, quam cordi eorum insit, quod

Sacra parans Domino sit Prudens, Sanctus & ipse,

Charus, conjunctus religioni, Sciens.

Quos versus declarat Lud. Abelly, in liberculo, cujus titulus Sacerdos Christianus p. 3. cap. 12. Si assidue, & attentè legerint, & meditati fuerint, quæ scripta sunt de dignitate Sacerdotum per P. Antonium Molinam Cartusianum denuò impressum Venetiis apud Baleonium anno 1674. & per P. Joseph Massi in libro inscripto Il Vero Ecclesiastico impresso Romæ anno 1673. Et novissimè, quæ typis mandata sunt ab Illustrissimo Episcopo Pompeo Sarnelli in suis operibus, tribus tomis distinctis, quorum titulus Specchio del Clero Secolare, impressis Neapoli m. 1678. 11. Si temperantiam in Viçtu, sobrietatem in potu; & modestiam in vestimentis servaverint, & potissimum clericalem tonsuram, non in sola corona in vertice, sed in refectione capillorum, juxta Synodales Constitutiones, & Sacrorum Canonum præcepta. 12. Si in administrandis Sa-

cramentis, in prædicatione Verbi Dei, in edocendis populis Christianam Doctrinam, vigiles, assidui, & ferventes fuerint; ita ut dubium esse non possit, eos quærere non quæ sua sunt, sed quæ JESU CHRISTI.

DECISIO DECIMA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Sacrilegio in loco sacro, quod sit per furtum, per exercitium Judicii sæcularis, per pollutionem Ecclesiæ, & aliis modis loco Sacro injuriosis. Diligentiz, ut populus devotè interfuit divinis Officiis.

SUMMARIUM.

1. Sacrilegium in loco Sacro committitur quinque modis.
2. Furtum in Ecclesia cum ejus fractura, vel non, an differat?
3. Furari crumenam divitis in Ecclesia an sit sacrilegium?
4. Polluta an sit Ecclesia ob percussionem hominis sine sanguinis effusione?
5. Diligentia decem, ut populus interfuit devotè divinis Officiis.

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD Primum. Quot modis committatur Sacrilegium in loco Sacro? Concorditer, quinque modis committi. 1. Si auferatur res Sacra de loco Sacro, vel non Sacra si erat in loco Sacro tanquam in custodia, vel pro ejus servitio. 2. Si in eo exercentur Judicium sæculare. 3. Si locus Sacer polluat humanum semine, vel sanguine. 4. Si in eo sepeliatur excommunicatus, vel infidelis. 5. Si loci Sacri immunitas violetur, extrahendo personas, quæ ibi confugerunt. Ita ex Tamb. l. 2. in Dec. c. 6. §. 3. n. 6. Summa Dian. Verb. Sacrilegium. Et mea Erotemata cap. 28.

Ad Secundum. An sit differentia furari res sacras cum fractura Ecclesiæ, vel sine fractura? Responderunt omnes, hanc esse differentiam, quod furans in loco Sacro sine fractura, nullam incurrit censuram; sed qui cum fractura, incurrit excommunicationem latæ sententiæ capit. Conquesti 22. Desunt. excom. quæ tamen ante denunciationem non est reservata, sed cum effractores fuerint ab Episcopo denunciati excommunicati, non possunt absolvi nisi à Papa. Thesaur. de Pen. Eccl. part. 2. Verb. Sacrilegium cap. 3. ubi D.D. Et quicumque effractio sufficit, vel in portis, vel in feris, vel in muris, vel in vestibus, vel in fenestris etiam vitreis, si eas impingens faciat cadere, vel cedere, aut vi aperiri. Thes. ibid. cum Filhiuc. & Suarez, qui addunt, quod ad dictam censuram incurrendam furtum debet esse grave, id est attingens ad peccatum mortale; & oportet, rem ablatam esse vel ipsius Ecclesiæ, vel ad ejus usum deputatam.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam furatus est crumenam à latere divitis orantis in Ecclesia: Quaritur, an fecerit Sacrilegium, & teneatur circumstantiam loci Sacri explicare? Negativam, & Affirmativam sententiam plurimi sunt amplexi, quia utramque gravissimi auctores defendunt. Primam, id est, sacrilegium non committi, neque circumstantiam loci in dicto casu esse explicandam tuetur Sorus, Fagundes, & alii, quas allegat, & sequitur Diana coordin. ro. 1. tract. 7. resol. 154. Contrariam tenet Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 7. num. 18. & Suarez de Religione ro. 1. lib. 2.